



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

7 V. illa columba fuerit verum animal.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

Christum non ratione vnionis ad columbam, sed vel ratione ipsius columbe significantis Spiritum Sanctum, quae descendendo super Christum venit. Vel etiam ratione spiritualis gratiae, quae à Deo per modum cuiusdam descensus in creaturam derivatur: secundum illud Iacob 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.

Homil. 12. in
Mat. antem.
297. 2.

Ad tertium dicendum, quod sicut Chrysostomus dicit super Matth. in principio spiritualium rerum semper sensibiles apparent visiones, propter eos qui nullam intelligentiam incorporalis naturae suscipere possunt: ut si possea non fiant, ex his, quae semel facta sunt, recipiant fidem. Et ideo circa Christum baptizatum corporali specie Spiritus Sanctus visibiliter descendit, ut super omnes baptizatos inuisibiliter postea credatur descendere.

Ad quartum dicendum, quod Spiritus Sanctus in specie columbe apparuit super Christum baptizatum propter tria. Primo, quidem propter dispositionem, quae requiritur in baptizato, ut scilicet non fictus a cedat: quia dicitur Sapient. 1. Spiritus Sanctus discipline effugiet fictum. Columba autem est animal simplex, astutia, & dolo carens: unde dicitur Mat. 10. Estote simplices sicut columbe. Secundo ad designandum septem dona Spiritus Sancti, quae columba suis proprietatibus significat. Columba enim secus fluentia habitat, ut inde viso accipere, mergat se, ut euadat: quod pertinet ad donum sapientiae, per quam sancti secus Scripturae divinae fluentia resident, ut incursum diaboli euadant. Item columba meliora grana eligit: quod pertinet ad donum scientiae, quae sancti sententias sanas, quibus pascantur, eligunt. Item columba alienos pullos nutrit, quod pertinet ad donum consilij, quo sancti homines, qui fuerunt pulli, id est, imitatores diaboli, doctrina nutriunt, & exemplo. Item columba non lacerat rostro: quod pertinet ad donum intellectus, quo sancti bonas sententias lacerando non peruertunt haereticorum more. Item columba felle caret: quod pertinet ad donum pietatis, per quam sancti ira irrationabili carent. Item columba in caernis petrae indicat, quod pertinet ad donum fortitudinis, quae sancti in plagis mortis Christi, qui est petra firma, nidum ponunt, id est, suum refugium, & spem. Item columba gemitum pro cantu habet: quod pertinet ad donum timoris, quo sancti delectantur in gemitu pro peccatis. Tercio apparuit Spiritus Sanctus in specie columbe propter effectum proprium baptismi, qui est remissio peccatorum, & reconciliatio ad Deum, columba enim est animal mansuetum. Et ideo sicut Chrysostomus dicit super Matth. in diluui apparuit hoc animal, ramum ferens oliuae, & communem orbis terrarum tranquillitatem annuntians, & nunc etiam columba apparet in baptismo, liberatorem nobis demonstrans. Quarto apparuit Spiritus Sanctus in specie columbe super Dominum baptizatum, ad designandum communem effectum baptismi: qui est coniunctio Ecclesiasticae unitatis, unde dicitur Ephes. 5. quod Christus tradidit semetipsum, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi lauans eam lauacro aquae in verbo vitae. Et ideo conuenienter Spiritus Sanctus in baptismo demonstratus est in specie columbe, quae est animal amicabile, & gregale: unde & Cantic. 5. dicitur de Ecclesia. Vna est columba mea. Super apostolos autem in specie ignis Spiritus Sanctus descendit propter duo. Primo quidem ad ostendendum feruorem, quo corda eorum erant commouenda, ad hoc quod Christum ubique inter pressuras predicarent: & ideo etiam in igneis linguis apparuit. Unde Augustinus dicit super Ioann. Duobus modis ostendit visibiliter Dominus Spiritum Sanctum, scilicet per columbam super Dominum baptizatum & per ignem super discipulos congregatos: ibi simplicitas, hic feror ostenditur. Ergo ne Spiritus Sanctificati dolum habeant, in columba demonstratus est: & ne simplicitas frigida remaneat: in igne demonstratus est. Nec te moueat, quid lingua diuise sunt, unitatem in columba cognosce. Secundo, quia sicut Chrysostomus

Homil. 12. in
Mat. parum
ante med. 1. 2.

Tr. 6. in Ioan.
aliquantulum
a prin. 10. 9.

dicat, cum oportebat delictis ignoscere (quod fit in baptismo) mansuetudo necessaria erat, quae demonstratur in columba: sed ubi adepti sumus gratiam, restat iudicij tempus, quod significatur per ignem.

dicat, cum oportebat delictis ignoscere (quod fit in baptismo) mansuetudo necessaria erat, quae demonstratur in columba: sed ubi adepti sumus gratiam, restat iudicij tempus, quod significatur per ignem.

ARTICVLVS VII.

Utrum illa columba, in qua apparuit Spiritus Sanctus fuerit verum animal.



D septimum sic proceditur. Videtur, quod illa columba, in qua Spiritus Sanctus apparuit, non fuerit verum animal. Illud enim videtur speciemus apparere, quod secundum similitudinem apparet. Sed Luc.

3. dicitur quod descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum. Non ergo fuit vera columba, sed quidam similitudo columbe.

2. Præterea, sicut natura nihil facit frustra, ita nec Deus, ut dicitur in 1. de Celo. Sed cum columba illa non aduenerit, nisi ut aliquid significaret, atque præteriret (ut Aug. dicit 2. de Trin.) frustra fuisse vera columba: quia hoc ipsum fieri poterat per columba similitudinem. Non ergo illa columba fuit verum animal.

3. Præterea, proprietates cuiuslibet rei ducunt in cognitionem naturae illius rei. Si ergo fuisset illa columba verum animal, proprietates columbe significassent naturam veri animalis, non autem effectus Spiritus Sancti. Non ergo videtur, quod illa columba fuerit verum animal.

Sed contra est, quod Aug. dicit in lib. de agone Christiano. Neg. hoc ita dicimus, ut Dominum Iesum Christum dicamus solum verum corpus habuisse, Spiritum autem Sanctum salaciter apparuisse oculis hominum, sed ambo illa corpora vera esse credimus.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) non decebat, ut filius Dei, qui est veritas Patris, aliqua fictione videretur: & ideo non phantasticum, sed verum corpus accepit. Et quia Spiritus Sanctus dicitur spiritus veritatis, ut patet Ioan. 16. ideo etiam ipse veram columbam formauit, in qua appareret, licet non assumeret ipsam in unitatem personae. Unde post predicta verba Aug. subdit. Sicut non oportebat, ut homines falleret filius Dei, sic etiam non oportebat, ut falleret Spiritus Sanctus: sed omnipotenti Deo, qui vniuersam creaturam ex nihilo fabricauit, non erat difficile, verum corpus columbe sine aliarum columbarum ministerio figurare, sicut non fuit ei difficile verum corpus in vtero Mariae sine virili semine fabricare cum creatura corporea, & in visceribus femine ad formandum hominem, & in ipso mundo ad formandum columbam, ut imperio Domini, voluntasque seruiret.

Ad primum ergo dicendum, quod Spiritus Sanctus dicitur descendisse in specie, vel similitudine columbe, non ad excludendam veritatem columbe, sed ad ostendendum quod ipse non apparuit in specie sua substantia.

Ad secundum dicendum, quod non fuit superfluum formam veram columbam, ut in ea Spiritus Sanctus appareret, quia per ipsam veritatem columba significatur veritas Spiritus Sancti, & effectum eius.

Ad tertium dicendum, quod proprietates columbe, eodem modo ducunt ad significandum naturam columbe, & ad significandum effectus Spiritus Sancti. Per hoc enim quod columba habet tales proprietates, ostenditur quod columba significet Spiritum Sanctum.

COMMENTARIVS.

In his articulis tria tractat D. Tho. Primum, cur baptizato Christo Spiritus sanctus visus est in eum descendere: scilicet ad significandum Spiritum Sanctum dandum esse per Christi baptismum, iuxta illud. Ipse descendit.

Ioann. 1. & 3. vos baptizabit in Spiritu Sancto. Ioan. 1. & illud. Nisi quis renatus fuerit ex aqua. & Spiritu Sancto. ca. 3. Quod amplius explicans D. Th. in solut. ad primum dicit cum Aug. lib. 15. de Trinitate. ca. 2. non descendisse Spiritum Sanctum in Christum baptizatum, quod eum tunc primo repleuerit. Ab instanti enim conceptionis suae ita fuit omni gratia repletus, ut crescere non potuerit. Descendit ergo ad significandum donum, quod dandum erat baptizandis in Christo, & praeterea ad indicandum donum illud plenissime, ac perfectissime in Christo habitare, de cuius plenitudine omnes alij erant accepturi. Quod significatum est Ioanni Baptista, quando illi dictum est, Ioann. 1. Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, & manentem, ipse est, qui baptizat in Spiritu Sancto: ut latissime exponit Aug. tract. 5. in Ioannem. Ex quo intelligitur aliter descendisse visibiliter Spiritum Sanctum in Christum & in Apostolos, aliosve sanctos: ad Christum enim facta est missio visibilis solū quoad externam speciem, & significationem, non vero quoad internum effectum, & inuisibilem missionem. Vnde Spiritum Sanctum visibiliter mitti ad Christum, nihil aliud fuit, quam Spiritus Sancti donum, quod a principio conceptionis in Christo erat, ac permanebat, nouo signo visibili manifestari. At vero in alijs simul cum nouo visibili signo facta est interior Spiritus Sancti missio per noua dona gratiae aut specialem eorum perfectionem. Et ad hunc modum exponendi sunt Patres, cum interdum videntur docere Christum in baptismo Spiritu Sancto fuisse vinctum, impletumque illud Plalm. 4. 4. Vni te Deus, Deus tuus oleo latitiae: ut Athanas. orat. 2. contra Arianos, & Cyril. ierosolymitan. cat. 17. illuminat & 3. mystagoga, & Optatus Mileuitan. libr. 4. contra Parmen. Hieron. lra. 61. & Hilar. lib. 11. de Trinitate, intelligendi (inquam) sunt, quoad externam manifestationem illius vñctionis. Nam alioqui certū est, Christum in conceptione sua fuisse perfectissimo Spiritu Sancto vñctum perpetua; atque inamissibili vñctione; ut docuit Damasc. lib. 4. de fid. ca. 6. Ambr. lib. de Noe, & arca cap. 3. & lib. 2. in Lucam, in fine, ex quo id mutuatus est Beda libr. 1. in Lucam, cap. 10. & Greg. lib. 9. registri, epist. 61. De qua re latissime egimus, multaque alia congestimus ex Patrib. in prioritomo, disput. 18. Sect. 1. 2. & 3.

Secundum declarat D. Tho. in sol. ad 4. cur apparuerit Spiritus S. in specie columbae. Cuius rei varias adhibet rationes, quae ab ipso enucleante satis exponuntur. Summa omnium est: ut in columbae proprietatibus tum effectus baptismi: tum dispositio suscipientis significetur. Quas breuiter attigit Tertull. lib. de baptismo, c. 8. dicens: Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata & benedicta corpora libens à Patre descendit super baptismi aquas: tanquam pristinam sedem recognoscens conquisit columba figura delapsus in Dominum, ut natura Spiritus Sancti declararetur per animal simplicitatis, & innocentiae. quod etiam corpora aliter ipso felle careat columba, lege Ilidorum libr. 12. originum. c. 7. Vnde quod D. Tho. hic dixit per simplicitatem columbae significari dispositionem, quam accedentes ad baptismum habebant, ut exposuerunt etiam Ambr. & Beda in Lucam. Tertull. refert ad effectum baptismi, seu donum Spiritus Sancti, quod per illum datur Subiungit deinde Tertull. rationem aliam, quae hic apud D. Th. est tertia, quam paucioribus verbis ille complexus est lib. contra Valentinum. c. 2. dicens: Columba à principio diuinae pacis est praeco. Quem imitatus Hieron. dial. aduersus Lucif. Emitteretur (inquit) de arca coruus, & non redit, & postea pacem terrae columba nuntiat. Ita & in baptismo Ecclesiae terrorem alicui expulso, id est, diabolo, pacem terrae nostrae columba Spiritus Sancti nuntiat. Similia habet epist. 83. ad Ocean. & Chrysost. homil. 12. in Matth. & egregie Cyril. ierosol. dicta cat. 17. vbi latius figuram hanc, & vtramque rationem persequitur, &

Psalm. 44. Athanas. Cyril. ierosolym. Optat. Mileuitan. Hieronym. Hilar.

Damasce.

Supra Christum baptizatum in specie columbae Spiritus Sancti apparuit. Tertullian.

Isidor.

Athanas. Beda. Tertull. Hieron.

Chrysost. Cyril. iero. Beda.

A Beda Matth. 3. vbi aliam significat rationem his verbis: Ideo Spiritus Sanctus super Saluatorem in specie columbae apparuit, quia non veniebat, ut per zelum peccata puniret; sed ut per mansuetudinem toleraret. Et inde colligit rationem, ob quam Spiritus Sanctus in baptismo descendit in specie columbae, in die vero Pentecostes in specie ignis, dicens: In igne vero super simplices homines apparuit, ut eos ad puniendam in se peccata spiritus alij feruor accenderet, quae Deus per mansuetudinem vindicari parceret. Quibus verbis comprehendit vtramque rationem D. Th. hic in eadem solutione ad 4. Tercio declarat D. Th. ar. 6. ad 2. & toto ar. 7. qualis illa columba fuerit, & quomodo apparuerit. Quae res diligentioris examinationem requirit in disputat. sequenti tractandam.

ARTICVLVS VIII.

Utrum conuenienter Christo baptizato, fuerit vox Patris audita filium protestantis.

A Octauum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter Christo baptizato, fuerit vox Patris audita. Filius enim, & Spiritus Sanctus secundum hoc, quod sensibiliter apparuerunt, dicuntur visibiliter esse missi. Sed patri non conuenit mitti, ut patet per Aug. in 2. de Trin. Ergo etiam nec apparere.

2. Praeterea: Vox est significatiua verbi in corde concepti. Sed Pater non est verbum, ergo inconuenienter manifestatur in voce.

3. Praeterea, Homo Christus non incepit esse filius Dei in baptismo, sicut quidam haeretici putauerunt, sed à principio suae conceptionis fuit filius Dei, magis ergo in natiuitate debuit vox Patris protestari Christi diuinitatem, quam in eius baptismo.

Sed contra est, quod Matth. 3. dicitur. Ecce vox de caelis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) in baptismo Christi, qui fuit exemplar nostri baptismi, demonstrauit, quod in nostro baptismo perficitur. Baptismus autem, quo baptizantur fideles, confertur in inuocatione, & virtute Trinitatis, secundum illud Mat. ult. Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti. Et ideo in baptismo Christi (ut Hieron. dicit) mysterium Trinitatis demonstratur. Dominus enim in natura humana baptizatur, Spiritus Sancti descendit in specie columbae, Patris vox testimonium filio perhibentis auditur. Et ideo conueniens fuit, ut in illo baptismo Pater declararetur in voce.

Ad primum ergo dicendum, quod missio visibilis addit aliquid super apparitionem, scilicet et auctoritatem mittentis. Et ideo filius, & Spiritus Sanctus qui sunt ab alio, dicuntur missi visibiliter, & non solum apparere: Pater autem, qui non est ab alio, apparere quidem potest, visibiliter autem mitti non potest.

Ad secundum dicendum, quod Pater non demonstratur in voce, nisi sicut auctor vocis, vel loquens per vocem. Et quia proprium est Patri producere verbum, quod est dicere, vel loqui: ideo conuenientissime Pater per vocem manifestatus est, quae significat verbum. Vnde & ipsa vox à Patre emissā filiatio-nem Verbi protestatur. Et sicut species columbae, in qua demonstratus est Spiritus Sanctus non est ipsa natura Spiritus Sancti, nec species hominis, in qua demonstratus est ipse filius, est ipsa natura filij Dei: ita etiam ipsa vox non per inierit ad naturam Verbi, vel Patris loquentis. Vnde Ioan. 5. Dominus dicit, neque vocem eius, id est, Patris vnquam audistis, neque speciem eius vidistis. Per quod (sicut Chrysost. dicit super Ioan.) paulatim eos in philosophiā dogma inducens, ostendit, quoniam neque vox circa Deū est, neque species, sed superior est, & figuris, & loquelis talibus. Et sicut colūba, & etiam humana natura à Christo assumpta tota Trinitas

221. Inf. q. 45. a. 4. q. 66. a. 6. cor. 1. Ep. 60. cap. 22.

1. 2. de Tri. e. 12. in fin. 1. 3.

a. 6. huius q.

In comm. 3. c. Mat. circa fin. com. 9.

Ho. 39. in Io. à med. 20. 34.